

## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum,  
quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in  
tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiarvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

959. Quæ præter legitimam causam requirantur conditiones ad  
dividendum beneficium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](#)

tio) contrarium dicendum, nempe etiam ante cefsum, vel decepsum obtinentis beneficium illam censeri posse sortitam suum effectum, ait idem nu.

28. iudic. n. 29.

**Questio 956.** An dismemberationes, & que cadant sub regula Cancellaria Revocatoria unionum?

**R**esponder Lott. cit. q. 29. n. 28. & 29. d. dismemberationes simplices fructuum, illas substantia beneficij, olim ulque ad tempora Clem. VIII. non cecidisse sub hac regula; sed quod ab illo nunquam ea regula ita concepta fuerit, ut ejusmodi dismemberationes complectetur; & hinc maiores nostros semper tenuisse, hiusmodi dismemberationes non cadent sub hac regula, ut Crescent. decis. I. n. 3. de Paroch. Seraph. de s. 982. n. 1. & 2. Quidquid sit, ubi fieret dismemberatio fructuum in totum, ita ut extingatur titulus beneficij, quo casu intratram ait argumentationem Mandofit; qui hac in re titubavit, ad hanc reg. q. 21. an. 4. Ad eundem Mandof remittit Chok. ad hanc reg. revocator. nu. 18. ubi: quid autem dicendum de annexione partis fructuum, num comprehendatur hac regula, vide apud Mandof. loc. cit.

**Questio 957.** Quid sit divisio, qualiter prohibita, & qualiter permissa?

**R**espondeo: De primo jam dictum fatis ante, ubi, quid sit dismemberatio, & qualiter ea differat a divisione: nempe quod diviso in eo consistat, quod beneficium secerit, & ex uno beneficio fiant duo. Garc. p. 12. c. 4. nu. 1. Castr. de benef. tr. 13. d. 6. p. 3. §. 10. n. 3.

Respondeo ad secundum: Prohiberi illam à jure. c. majoribus. c. dilecto. c. vacante, de prab. & ibi AA. communiter. Garc. Castr. loc. cit.

Respondeo ad tertium: Permititur tamen & illa, ubi iusta est causa, & adiunt legitima conditio. Castr. loc. cit. Garc. loc. cit. n. 2. juxta textum c. vacante, & ibi AA. passim. & gl. in c. majoribus. v. divisionem.

**Questio 958.** Quenam in specie sit iusta causa divisionis?

**R**espondeo: Eam esse unicam, nimirum ut hac ratione obligationibus beneficio incumbentibus sati fiat, quibus, quando benecium unum & indivisum manet, satisfieri nequit, v. g. si beneficium est curatum, & unum cum sit, satisfieri nequit Curia, divisione autem facta ei satisfieri potest. Idem est de Canoniciatu, aliove beneficio simplici, si munus haberet, cui nullatenus satisfieri posset seclusa divisione. Castr. loc. cit. n. 4.

2. Hinc causa sufficiens beneficia dividendi non est, quod cultus divinus multiplicatione beneficiorum augatur. Lott. I. 1. q. 28. n. 52. (ubi: circa illud, quod est causa finalis sectionis diligenter observa; quod, cum melius servatur Ecclesia per plures quam per pauciores, videtur fruistrarie adiui, ex quo in omnisectione augetur numerus servientium, propterea referendam est id ad praeiun necessitatem Ecclesie; cum non semper expedit esse plures ministros) Castr. cit. n. 4. citatus Imol. in c. vacante. de prab. Lambert. de jurep. I. 2. p. 1. q. 12. a. 7. Item apud Garc. Rota in Callagurii, benef. 18. Jun. 1593. ubi expressè dicit ex Pet. de Ubald. tr. de Canon. Episc. c. 7. n. 6. (quod ipsum etiam ex eodem afferit Lott. loc. cit. nu. 63.) augmentum hujusmodi cultus divini ad hunc effectum non habet in consideratione ex numero beneficiorum, nisi ubi Ecclesia properet defectum beneficiorum suis debitis servitus defraudaretur. Item dicitur ibi: nec di-

catur, quod in augmentatione numeri beneficiorum divinis cultus augatur; quia respondetur, quod haec causa non est sufficiens ad inducandam divisionem beneficiorum & præbendarum, & si aliter dicaretur, sequeretur, quod semper ex illa causa augmentum divini cultus est ratione divisionis beneficiorum contra iura predicta. Arque Rota in dicta causa pronunciavit, nullam esse conditionem ex simplici hujusmodi causa multiplicandi beneficiorum factam. Lott. loc. cit. n. 64.

3. Neque sufficiens causa est extinctorio iuri, & litigantium concordia, haec enim alia via obtinet possunt, absque eo, quod beneficium dividatur, per reservationem nimurum pensionis. Lott. loc. cit. n. 68. Castr. loc. cit. Rota in eadem Callagurii apud Garc. ubi etiam Rota ait, concordias semper fieri debere, ne sequatur Sectio beneficij, juxta c. n. 1. sent. de prab.

4. Neque causa sufficiens est dividendi beneficium Parochiale roulitudo Parochianorum, seclusa divisione, omnibus illis administrari possunt Sacra menta ab ipso Rectore, aliisque in adjutorium assumptis. Castr. loc. cit. argumento Trid. sess. 21. c. 4. ubi disponit, ut, ante quam ad divisionem procedatur, Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolica delegari, in omnibus Ecclesiis Parochialibus vel baptisinalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere administrandis Sacra mentis, & cultui divino peragendo, cogant Rectores, vel alias, ad quos spectat, libi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quod sufficiunt ad illud; adeoque hoc remedium prius tentandum. Castr. loc. cit. Bartol. ad cit. loc. Trid. Ad compellendum autem Rectores, ut designent sibi adjutores, opus non est, si Episcopus procedat ex officio ut Episcopus, ut si prober aliquem, vel aliquos Parochianos, decessisse sine Sacra mentis defectu congrui serviri; sed sufficit, si periculum sic decadendi extra judicialiter cognoscatur. Secus esset, si ad instantiam partis Rector compellendus esset ad assumendos adjutores, & eo quod difficulter pars probare possit necessitatem, nisi prober, aliquem sine Sacra mentis defectu. Castr. I. c. Verum de causis, aliisque observandis in divisione Parochiarum dictum est sufficienter alibi, & remissum ad Card. de Luca & Lott. quæst. ante hanc. s. præter hos vide etiam de hoc Castr. loc. cit.

**Questio 959.** Qua preter legitimam causam requirantur conditiones ad dividendum beneficium?

**R**espondeo: Requiri duas, prima est, ut fructus pro singulis beneficis designati sint sufficientes ad alendum congrue utrumque beneficium. Castr. loc. cit. n. 3. Lott. cit. q. 28. n. 76. ubi etiam, quod in determinatione hac redditum seu fructuum non sit habenda consideratio duxit ex alimentorum, verum etiam onerum Episcopali & hospitalitatis, & haec sufficiunt semper probandam per eum, qui Sectioni initiat. Altera, ut adhibeantur solennitates, qua requiruntur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quia hac divisione est vera talis alienatio. Castr. loc. cit. Porro haec solennitates in divisione eadem sunt, qua in dismemberatione. Quod autem de consenseru Rectoris, cuius beneficium dividendum, ait Castr. loc. cit. n. 5, hunc non requiri; cum Trid. dicat, etiam invitis Rectoribus fieri posse divisionem, & haec tota causa relinquatur a Concilio arbitrio Episcopi, sic intelligendum juxta dicta, ut h. vocatus

**C**atu: Rector consentire noluerit, possit Episcopus etiam invito, ubi adest justa causa, procedere ad divisionem. De Parochianorum consensu non requirendo facultas admittitur, quod tradit *ibid.* Castrop. Hoc bene subjungit Castrop. *n. 6.* ex Barbo, *ad dicitur loc. Trid. nu. 4.* posse tamen Rectorem, ut & Parochianos a decreto divisionis, & erectionis nova facta per Episcopum, etiam tanquam Sedis Apostolica delegatum, appellare, ita ut hæc appellatio necessariò interponenda sit apud Sedem Apostolicam, ubi Episcopus divisionem facit tanquam Sedis Apostolica delegatus. Si vero non Ordinarius processit, appellatio interponi possit coram Metropolitanis, habituram autem appellationem effectum non suspensivum, sed devolutivum, sit *ibid.* Castrop. Argumento *i. ad audiendum de Eccles. ad fid.*

**Quæstio 960.** An, & qualiter Episcopus facere possit divisionem?

**R**espondeo primò: Utique præcedente conditione servata, accedente etiam iniâ causa, Ecclesiæ sibi subjectarum divisionem facere potest Episcopus, ut colligatur satis ex Trid. *sess. 21. c. 4.* Castrop. *loc. cit. n. 3.*

2. Respondeo secundò: In Ecclesia tamen Collegiata anumerata, hoc est habente certum numerum & determinatum præbendarum sectionem Canonicanum, ad effectum augendi numerum Præbendariorum seu Canonicorum facere non potest Episcopus, dum numerus ille certus semel statutus ester auctoritate summi Pontificis; quia talis numerus sine auctoritate Papæ alterati, adeoque nec augeri dividendo, nec minui supprimendo præbendas potest. Lott. *cit. q. 28. n. 55. & 56.* citatus Jo. And. *in c. cum accessissent. nu. 19. de Confir.* Quod tamen intelligendum subjungit Lott. *n. 57.* nisi ex post fructus excreverint, vel decreverint, ut Abb. *in cit. c. cum accessissent. nu. 4.* & Felin. *nu. 17.* Illud etiam notandum, quod ait Lott. *loc. cit. n. 60.* nempe quod, dum requiritur, ut concurrat consensus Capituli pro tali alteratione statutus Ecclesiæ, qua contingit per talem divisionem aut suppressionem, illud referendum sit ad Prelatum Superiori illius Capituli; eo quod Capitulum numquam ex se id possit, sed omnino requiratur auctoritas Episcopi. Si tamen Episcopus non sit de Capitulo, vel habeat bona communia cum ipso Capitulo, tunc enim exigetur auctoritas Metropolitanæ, vel Papæ, ut Jo. And. *loc. cit.*

**Quæstio 961.** Qua de causa, & qualiter divisione Diœcesis cum creatione novæ Cathedrales fieri, & permitti possit?

**R**espondeo: Dum ex diœcesis amplitudine, & itineris asperitate difficile, nimirumque incommunum redditum pastori, oves statutis temporibus visitare, recognoscere; ipsiusque ovibus pastorem adire, justam censerit causam faciendo divisionem diœcесium, ait Card. de Luc. in *Miscellan. d. 1. n. 115.* Attamen certa & determinata Regula cuiusque casui applicabilis desuper statui non potest; plura liquidem, quam dicta causa requisita ad id desiderantur ea præsertim, ut antiquæ Ecclesiæ dignitas non vilescat, ac etiam nova convenientem quoque dignitatem fortiri & conservare valeat. Quod ipsum pro regionum moribus Regulam recipit; cum in una regione non dedecet Ecclesiæ Cathedrales habere fines brevissimos, in alia regione praxis sit diversa, & contra.

P. Leuren, Fori, Benef. Tom. III.

Card. de Luc. *loc. cit.* qua eadem ferè repetit ad Trid. *d. 16. n. 6.* de hac autem diœcесium divisione agere, & hæc examinare spectare ad Congregationem Consistoriale, ait *cit. d. 1. in Miscellan.* & ea frequenter in forma potius extrajudiciali & consultativa disputari, & examinari solere in dicta Congregatione, ait *ad Trid. l. c.* vide eundem *depriment. d. 6.*

**Quæstio 962.** Qua de causa, & qualiter procedi possit ad divisionem Provinciae Ordinis aliquius Religiosi?

**R**espondeat Card. de Luc. *de Regular. d. 27. nu. 30.* *& 4.* eosdem ferè terminos adhibendos in dismembratione, & divisione hujusmodi Provinciarum, qui adhibentur in materia divisionis Ecclesiæ Parochialium; cum & hæc divisio sit alienatio prohibita cadens sub terminis *Extrav. ambitiofæz* exigere non solum solemnitates consistentes in beneplacito Apostolico, & in consensu intercessorium, sed etiam justam causam necessitatibus, cui alijs opportunitate provideri non possit; quodque verificentur duo extrema: nempe primò, ut antiquæ Provinciæ dignitas per hujusmodi divisionem non vilescat, sed in congruo suo ac decenti statu remaneat. Secundò ut novum corpus illud, seu nova Provincia cum debita decencia constitui valeat, ne alias vilpendendi ratio eadē, qua in Parochialium, vel etiam diœcесium divisione intrerit. Porro de divisione unius & eligonis ab alia vide eundem Card. de Luca. *de Regular. d. 5. per rot.*

## PARAGRAPHVS II.

### De Alteratione, & Suppressione Beneficiorum.

**Quæstio 963.** Quid hic veniat nomine alterationis, seu mutationis beneficiorum?

**R**espondeo: Variam spectari posse beneficiorum alterationem, quarum alia extrinseca, alia magis intrinseca videtur, ut dum beneficium de subiecto Jurispatronatus transit in liberum, vel contraria. Qui transitus qualiter contingat, satis constat ex dictis de jurep. Item dum annexa beneficio in eius fundatione & erectione onera mutantur, demuntur, aggravantur; si enim quasi extrinsecè dici potest murari beneficium, de quo etiam dictum alibi, ubi de erectione beneficiorum. Alia magis intrinseca mutatio est, dum simplex in curatum, aut dignitatem, regulare transit in secularis, vel contra, de quo postremo dictum ad initium part. *l. 1. ubi de natura & divisione beneficii.* Nominis vero alteracionis Ecclesiæ magis ordinariè venire solet ea mutatio, qua Ecclesia aliqua (intellege, in qua est Congregatio aliqua Clericorum) Regulatis mutatur in secularis, vel contraria. Ecclesia aliqua Collegiata purè in Cathedralem, Cathedralem in Metropolitanam, Parochialis in Collegiam, simplex in Parochiale, Conventualis unius Ordinis in Conventualem diversi instituti & professionis. Azor p. 2. l. 6. c. 30 q. 1. Alterari quoque statutum Ecclesiæ, præcipue curatarum, sive sunt Collegiatæ, sive simplices, tribusq; nempe sectione seu dismembratione, suppressione, & unione beneficiorum, ait Lott. *l. 1. q. 28. n. 1.*

**Quæstio 964.** Penes quem sit potestas alterandi Ecclesiæ modo dicto?

**I. 1.** Espondeo primò: Mutandi Ecclesiam Parochialem, vel etiam purè Collegiatam, aut

Qq 2 quan-